

**610.** Quae autem certis temporibus, festivitatibus, et pro quibusdam functionibus a Sacristis peragenda aut paranda sunt, suis locis in hoc Caeremoniali deprehendent; sed et optimum erit, ut in Sacristia commentariolum habeant, in quo omnia adnotata sint.

§ II. — *De officio Inservientium Missae privatae.*

**611.** Praestantissimum obsequium est eorum, qui sacrosancto Missae Sacrificio inserviunt: quum enim Deo ipsi, qui in SS. Eucharistiae Sacramento praesens est, ministrent, Angelorum plane ministerium implent. Induantur proinde, in quantum fragilitati humanae licet, puritate, moribus, incessu et gestibus Angelorum, et angelicam prorsus totius corporis compositionem, quum ad hoc ministerium accedunt, praeseferant.

**612.** Minister ante Sacerdotem celebraturum se confert in Sacristiam, ut ibi necessaria provideat. Genuflexus et orans exspectat Sacerdotem, cui accedenti pallium ex humeris demit illudque decenti loco reponit, et Sacerdoti assistit in manibus abstergendis.

**613.** Ad sinistram Sacerdotis stans, illi porrigit Amictum. Deinde Albam Sacerdotis humeris imponit, dextera manica primum, deinde sinistra aliquantulum elevata, quo Sacerdos commode iis indui possit. Cingulum duplicatum tali modo tergo applicat, ut eius extremitates ad dexteram dependeant. Albam ita componit, ut ex omni parte aequaliter et apte pendeat, eamque circum circa duorum fere digitorum spatio a terra elevat; Manipulum imponit brachio sinistro et chordulis ligat. Stolam illi praebet ita, ut facile Crucem, quae est in medio,

osculari possit: Sacerdos autem sibimet ipsam collo imponit; advertat Minister tamen, ne supra Planetam exporrigat. Casulam supra credentiam ita adaptet, ut Sacerdos eam sumere et sibi imponere sine incommodo valeat: hinc eam parum elevet a tergo, ut Sacerdos possit facilius chordulis sibi circumcingere, et ligare.

**614.** Sumit Missale, et utraque manu in extremitibus inferioribus tenens ante pectus paululum elevatum portat, apertura ipsius ad suam sinistram versa.

**615.** E loco discedens, simul cum Sacerdote facit profundam inclinationem versus Crucifixum, et medium versus Sacerdotem, quem praecedit. Ubi ad vasculum aquae benedictae pervenerit, intinctis in ea digitis manus dexteræ, Sacerdoti porrigat, deinde seipsum signet.

**616.** Cum ad Altare pervenerit, locum det Sacerdoti ut libere transeat; ad dexteram ipsius se collocet, et cum eo faciat genuflexionem, si in Altari fuerit SS. Sacramentum, secus reverentiam profundam; et tenens manu dexterâ Missale, elevet sinistra extremitatem Albae et vestis Celebrantis in parte anteriori, ut libere ascendere possit ad Altare: (quod semper faciet quandcumque Sacerdos gradus ascendit); et incedens gradum unum post eum, ascendat et ipse in suppedaneum, et Missale super cussinum vel legile ponat, non apertum sed clausum, apertura ipsius versa ad medium Altaris.

**617.** Accendat deinde candelas, non in medio Altaris, nec prope medium, sed in utroque latere seu extremitate, prius in cornu Epistolae, postea ad partem Evangelii; et deposita arundine, si ea usus sit, geniculabit in plano fere cubitum unum ab infimo gradu Altaris, et duos fere a Sacerdote, in cornu Evangelii.

**618.** In principio Missae cum Celebrante se signo Crucis signabit, et ipsi respondebit, ut in Missali notatur, eadem, qua fieri potest, vocis modulatione, verba distincte proferens, non intercipiens, quae dicit Sacerdos. Dicens *Misereatur*, aliquantulum se inclinabit Sacerdoti. Confessionem recitans profunde inclinabitur Altare versus, et ad verba *tibi pater* et *te pater* paululum se convertet ad Celebrantem. Dicens *mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa*, ter mediocriter sibi pectus percutiat, non extremitate digitorum iuncta, sed manu dextera aperta, sinistra infra pectus applicata. Inclinatus profunde remanebit etiam dum Sacerdos dicit *Misereatur*, se erigens cum respondet *Amen*. Ad *Indulgentiam* etc. se signabit; et cum Celebrans dicit *Deus tu conversus* etc., mediocriter se inclinabit usque dum dicat *Oremus*: quo dicto surgit, manu dextera levabit Albam etc., ut supra dictum est, deinde geniculabit suo loco.

**619.** Locus autem Ministri, dum aliquid ipsi non est agendum, est in parte opposita illi, in qua est Missale: in primo gradu Altaris, si alii sint praeter suppedaneum, secus in plano: ubi genuflexus manebit, se signans quando Sacerdos signatur, cum ipso caput inclinans Crucem versus, dum clara voce profert nomen Iesu, et directe in positione sua ad nomina Mariae, Sancti, cuius festum colitur, et Summi Pontificis viventis.

**620.** Cum ipsi transeundum erit ad aliam partem Altaris, vel simpliciter etiam recedendum a suo loco, semper sive reverentiam profundam sive genuflexionem respective faciat, non in loco in quo est, sed in medio. Nunquam autem transeat per gradus Altaris, sed per

planum; semperque dum non agit, manus teneat iunctas, corpus erectum, oculos demissos.

**621.** Post Epistolam, responso *Deo gratias*, Minister surgat et accedat ad cornu Epistolae, ut Missale transferat ad partem Evangelii. Si vero plures legendae essent Epistolae, dicenti Sacerdoti *Flectamus genua*, respondeat *Levate*, ipse tamen genuflexus maneat usque dum ultima lecta sit. Ita maneat pariter genuflexus, si post Epistolam longa legenda sit Sequentia, et surgat tunc cum Sacerdos dixerit *Amen*. Sumpto autem Missali cum legili, facta in medio reverentia, ipsum deponat in cornu Evangelii, illud ita collocans, ut pars inferior Missalis efformet quasi diagonalem inter frontem Altaris et Crucem.

**622.** Deposito Missali descendat de suppedaneo, maneat in gradu superiori, et ibi Sacerdoti respondeat se signans cum ipso. Reversus deinde in planum vadat ad cornu Epistolae, ubi stet usque ad finem Evangelii; et dicto *Laus tibi Christe*, in genua procumbat et maneat usque dum Sacerdos dicat *Oremus* ante Offertorium. Si dicitur *Credo*, ad verba *Et incarnatus est* etc. profunde se inclinet.

**623.** Ante Offertorium surgat et procedat ad abacum, sumat manutergium, et super mensam Altaris extendat ad extremitatem in cornu Epistolae, et ipsi imponat pelviculam cum ampullis; et recepto velo Calicis, ipsum plicet et ponat prope Corporale non longe a gradu candelaborum, ut Celebrans possit ei superponere pallam et facile resumere.

**624.** Cum ad latus Epistolae accesserit Sacerdos vnum et aquam infusurus in Calicem, Minister, si opus

sit ampullis abstensis, dextera manu porrigit ampullam vini, quam sinistra recipit, tum eadem dextera praebet ampullam aquae, quam eadem manu resumat, advertens, ut utramque osculetur tum porrigendo cum recipiendo.

**625.** Ampulla vini reposita super abacum, accipit sinistra pelviculam et dextera ampullam aquae, sublevans eodem tempore manutergium et sic implicatum relinquens super mensam; cum vero Sacerdos veniet ablutarus manus, facta prius ipsi reverentia aquam manibus ministrabit: et iterum facta reverentia, deponet pelviculam super abacum superpositis ampullis, itemque et manutergium plicatum. Caveat autem, ne super Altare relinquat manutergium, sive extensem sive plicatum.

**626.** Redeat tunc ad locum suum, secum deferens campanulam, nisi iam fuerit ad gradus Altaris; et ibi genuflexus respondeat *Suscipiat etc. ad Orate fratres paululum inclinatus.* Ad *Sanctus*, leniter tres distinctos duplices tintinnos det campanulae, eamque deponat, et, si accendendus sit cereus, in cornu Epistolae accendat.

**627.** Quando Celebrans signat Oblata, sumpta campanula, surgat, et proprius Sacerdoti genuflexus sistat in gradu immediate posito subtus suppedaneum. Cum Sacerdos genuflectit facta consecratione Hostiae, se profunde inclinans, sinistra manu Planetam a tergo sublevet, dextera dupli tintinno campanulam pulset per tres vices, nempe ad primam genuflexionem, ad elevationem Hostiae, et ad posteriorem genuflexionem. Haec omnia exequatur et ad elevationem Calicis, post quam ad suum locum redeat, et ibi genuflexus expansis brachiis iuxta nostram consuetudinem oret usque ad finem Orationis dominicae.

**628.** Dum Celebrans Hostiam consecratam sumit, Minister mediocriter inclinabitur: cum vero fragmenta colligit super Corporali, nisi administranda sit Communio, assurgit, et acceptis ampullis, ascendit ad superiorem gradum in cornu Epistolae: se inclinat dum Sacerdos assumit Calicem, deinde suppedaneum ascendit, et vinum administrat, advertens, ne ampulla Calicem tangat. Descendens tunc a suppedaneo et stans in gradu superiori exspectat Celebrantem, cui super digitos infundit prius vinum, deinde aquam.

**629.** Si vero facienda sit distributio Eucharistiae, tunc cum Celebrans fragmenta colligit, Minister ad gradum lateralem in cornu Epistolae pergit, et ibi genuflexus dicat *Confiteor:* si extendenda sit mappula, extendat, prius deposita suo loco campanula, hinc genuflexus item lateraliter in cornu Epistolae Sacerdoti respondeat ad *Misereatur etc.* Completa distributione, surgat, ad medium pergit, ubi Sacerdoti elevet Albam et vestem ad Altare ascendi; et, facta genuflexione, peragat quae supra num. 628.

**630.** Descendens hinc de Altari, ampullis super abacum depositis, pergit ad latus Evangelii, ut Missale deferat in cornu Epistolae: et extincto cereo, si fuerit accensus, vadat ad locum suum in cornu Evangelii, ibique Sacerdoti respondeat, quae respondenda sunt.

**631.** Si deferendum sit Missale, ut in ipso legatur ultimum Evangelium, responso *Deo gratias ad Ite Missa est*, Minister illud deferat in partem Evangelii, ita ut possit ad benedictionem genua flectere in suppedaneo. Deinde remanens in eodem latere, prope Sacerdotem,

quod est servandum, quoties legitur Evangelium in Missali, Sacerdoti respondet; responso *Deo gratias*, tollit Missale cum legili, et remittit in cornu Epistolae, extincta prius candela in cornu Evangelii; et sublato a legili Missali, extinguit pariter, quae est in cornu Epistolae, et descendit in planum se collocans ad dexteram Celebrantis.

**632.** Si vero legendum sit Evangelium S. Ioannis, manet in suo loco genuflexus: ad benedictionem se profunde inclinat, et postquam responderit *Gloria tibi Domine* surgit, et sumpto de Altari Missali subsistit in cornu Epistolae, factaque simplici genuflexione ad verba *Et Verbum caro factum est*, ac responso *Deo gratias*, transit ad cornu Evangelii ad extinguendam candelam, extinguit postea quae est ad cornu Epistolae, et descendit in planum, ut supra: ac facta simul cum Sacerdote reverentia profunda, vel genuflexione, ipsum praecedens reddit ad Sacristiam.

**633.** Sacristiam ingressus se ponit ad sinistram Sacerdotis, et facta reverentia primum Crucis, deinde ipsi Sacerdoti, deponit Missale: tum Sacerdotem adiuvat in deponendis sacris paramentis, quae supra mensam deponit, ut postea remittat in locum proprium, quae remittenda sunt.

**634.** Sacerdoti exuto ministret in lotione manuum; ipsi, si id requiratur, pallium humeris imponat, et dextram osculetur.

**635.** Plicet deinde et reponat, si in loco assignato ponenda sint, Amictum, Albam, Cingulum, et purificatorium, et postea pergit quo iturus est.

§ III. — *De officio Inservientium Missae,  
in qua fit incensatio Altaris.*

**636.** Cum nobis ex SS. RR. Congregationis Rescripto concessum sit, iuxta antiquam consuetudinem Ordinis, quando Missa conventualis celebratur cum aliqua maiori solemnitate, etiam sine cantu, ut in ipsa fiant incensationes Altaris<sup>1</sup>; tunc non unus tantum Clericus, uti innunt Constitutiones nostrae, sed praeter Acolythus et Thuriferarium cottis indutos, tamquam Caeremoniarius Sacerdos, vel saltem Diaconus, superpelliceo indutus huic Missae adsistat.

**637.** Clerici ad officium Acolytorum destinati exequuntur in praxi caeremonias, quae in Missa privata, seu lecta adimplenda sunt, quibus addent sequentia:

**638.** Sacristiam ingressi superpelliceum induant: et nisi iam parata sint omnia, praeparent quae ad sacram opus necessaria sunt. Caeremoniarius, vel etiam Sacrista, praeparet Calicem et Missale, Thuriferarius thuribulum et naviculam cum incenso et cochleari.

**639.** Rebus dispositis, Calix et Missale vel ab Acolythis vel a Sacrista deferuntur super credentiam in cornu Epistolae.

**640.** Interim Sacrista aut aliis candelas accendit, et Acolythi ac Caeremoniarius Sacerdoti assistunt in induendis paramentis.

**641.** Thuriferarius tenens thuribulum manu dextera, digito annulari immisso in annulum positum in summi-

<sup>1</sup> S. Rit. C. 17 Dec. 1888; ad 3.